



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Ivstitia Et Ivre Libri Decem, Reuerendi P. F. Dominici
Soto, Segobiensis, Ord. Præd. Theologi præclariss.**

Soto, Domingo de

Venetiis, 1608

4 Vtrum liceat condemnato ad mortem, se quacunq;ue via defendere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38878

se condemnatus, etiam ad mortem, per appellationem iudicium eludere, nam est contra iustitiam & in republice detrimentum, nam sepiissime illis prolationibus iudices, & ministri vel lassantur, vel corrumpuntur & restant scelera impunita. Secus si aliquo pacto de aequitate sententiae dubitaretur.

Ad primū arg. Ad primū igitur argumentum respondetur, quod quando inferior iudex fines transgreditur iuris, exorbitat ab ordine superioris, & ideo subditus nullam transgreditur obedientiae lineam, si ad superiorē recurrit, quoniam nemo constringitur parere inferiori, nisi quatenus ipse peruehat in superioris ordine.

Ad secū dū arg. Ad secundū respondetur, quod in utroque esse peccatum vsu venit, scilicet in iudice perspicente defectum, per quem iustam causam dat reo aequiorem alium interpellandi, & in reo defectum constantiae, quia non persistit in eo quod semel elegit. Vnde licet ordinario iudici firmiter obedientia quam arbitrio debeat tamē quia ordinarius non à reo eligitur, sed eius auctoritas pendet à superiori, fit ut quando ille ab eius ordine exit, possit reus citra inconstantiae notam provocare, quando vero litigantes communi consensu sequestrē elegerunt, propter eorum inconstantiam non permittuntur appellare. At tamen si tres fuerint electi, & duo sine tertio sententiam tulerint, appellare licet, ut subditur statim in c. sane.

Ad tertiu arg. Ad tertium argumentum respondetur, quod cum appellare, officium sit virtutis, constringi debet ab utroque extremo, nempe ut ita hoc bene iudicium reo concedatur, ut tamen non cedat in accusatoris iniuriā. Ob idque antiquitus biduum aut triduum concedebatur reo, ut posset appellare, post vero indultum est tempus decem dierum. Nam si quanto cuncte elapso tempore appellare liberum esset, nulla esset firmitas in iudicio & sententia, sed semper esset ex arbitrio rei pendens. Atque eandem ob causam interdictum est super eodem articulo tertio appellare, ut patet extra, de appell. c. Directa. Vbi permittitur appellare bis, & c. sua nobis ubi prohibetur appellare iter. Et est expressus titulus in Codice, lib. 7. ne liceat in vna eademque causa tertio provocare. Iam vero Rom. e inductus est contrarius mos, ut scilicet tres sententiae expecten-

tur concordēs. Ea forte de causa quod technis fraudibusque humanis in dies crescentibus, aliter satisfieri litigantibus non posse creditum est nam cum haec ex iure pendente positio, potest summus Pontifex illa pro temporum varietate mutare. Ille autem nocentissimus intolerabilisque stylus est, ut litigatores permittantur causas in frustra lacerare, & novos articulos effingere ut à quocunque iudicis verbo appelletur, & de singulis expectentur tres sententiae, a quae hac ratione lites immortales fiant.

ARTICVLVS IIII.

Verum liceat condemnato ad mortem sequi cunque via defendere.

Postremum remedium quod reo si peresse videtur est, ut se defendat, nec praesertim dum morti additus est. Arguitur ergo id licitum esse. Naturalis inclinatio semper est licita cum Deo auctore illa sit vniuersis rebus indita, inter inclinationes autem naturae, summa cunctis rebus inest ut se conseruent, inde enim nascitur ut summam exoptemur felicitatem in qua perpetuo permaneamus, ergo ad tuendam vitam quaecunque nobis defensā licet. Secundo: Perinde sententia fugiendo declinatur, atque resistendo, fugere autem licitum est, secundum illud Eccles. 9. Longe esto ab homine potestatem habente occidendi, & non viuificandi, ergo & resistere licet. Tertio: Plus homo sibi ordine charitatis tenetur quam alteri, licet autem alterum periculo mortis eripere, secundum illud Proverb. 24. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & eos qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses, ergo & cuique licet seipsum à morte liberare. In contrarium est Apostolus ad Rom. 13. Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit, & ipse sibi damnationem acquirit. Etenim qui à suo se iudice defendit potestati resistit quae diuinitus ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum instituta est.

Quaestio haec per distinctionem est dissoluenda. Contingit enim quempiam, aut iuste damnari aut iniuste. Et secundum haec duo membra dux sunt discernendae conclusiones. Prior est: Ne mini iuste ac iuri

dicere condemnato licet se a legitimo iudice defendere. Et ratio (præterea testimonium citatum Paul.) est quod bellum nequit esse utrinque iustum nisi ubi ignorantia alterutram partium excusaret, iudex autem iuste capit, tener supplicioque addicit legitimum reum, non ergo reus iuste potest illi resistere, sed est suo genere mortale crimen. Posterior conclusio. Cuicumque iniuste condemnato fas est iudici resistere, ubi tamen non daret scandalum, ex quo grauis turbatio timeretur. Conclusio est nota, quoniam iniqua sententia nullam subditio inducit obedientiam, quin veritam tunc iudex non publica, sed priuata uiuatur auctoritate, crescit autem inde eius culpa quod præteru iustitie iniuriam infert, & violentiam. Vnde Ezech 22. Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem, ergo sicut a lupis, sic se quisque potest ab ipsis teneri, nisi graue inde mereretur scandalum. Emergunt tamen ex his conclusionibus rationes aliquot dubiandi. Et primum omnium offeritur dubium de innocētie, qui secundum allegata & probata condemnatur, videlicet virum sit illis connumerandus, quibus posterior conclusio suffragatur, ut se defendant, an vero illis quibus refragat prior, præcipiēs ut pareant. Nam quod se possit defendere, argumentum est sua innocentia. Durissimum enim est manus innocentis ligare, qui per iniquitatem accusatus est id præsertim in causâ mortis, cum natura cuiuslibet ius faciat defendendi sese. Sed ex altera parte est nihil debilius argumentum, quod illum iudex iuste condemnat. Et ponamus eundem etiam iudicem credere illum esse nocentem. Quare si damnato liceret se defendere, bellum esset iustum ex utraque parte. Res profecto grauis est, & qui a parte innocentis censeret, respondere ad contrarium argumentum posset, quod bellum simpliciter est iustum ex parte innocentis, sed tamen iustitia iudicis fundaretur in falsa præsumptione, que innocētius protectionis non admittit. Nihilominus non audeam ab hac parte stare, sed crediderim (ut quæstione quarta dicebam us) quod si eiusmodi innocens posset citra graue scandalum, & citra vulnerationem iudicis eiusque ministrorum se protegere, posset quidem, ut pote non

solum fugiendo, verum & includendo se in locum munitum, & forte armis territando ministros iustitiae, & dum capitur, committendo se eripere etiam pellendo ministros. Attamen si non posset se defendere nisi inflicto vulneribus, nequiquam crediderim id licere.

Nam primum id non fieret sine grauissimo scandalo, quod peccatum est. Secundo arguitur Iudex in tali casu non solum licere reum inuadit, verum & iustitiae præcepto ita compellitur, ut si non faceret grauius peccaret. Nam faciamus testimonio esse legitima, & iudicem habere illum pro eo durissimum autem concessu esset quod iudex teneretur prælium contra hominem aggredi, qui iuste posset etiam se contra prælio defendere, nam etsi in bello posset contra se inuicem duo hostes iuste pugnare, quia alterum ignorantia excusat, est autem longe dissimilis ratio, quia allegata & probata secundum iura obligant iudicem reum damnare. Itaque iudex etsi decipiatur credens illum esse reum, tamen non decipitur in hoc, quod etiam si sit in secreto innocens tenetur illum damnare. Præterea, quod ipse sit persona publica & reus priuata plurimum ad rem facit. Adde quod si prætorē, vel occideret vel vulneraret, licet postmodum de eius innocentia constaret, nihilo secius ob id quod illa se videndisset, puniretur. Signum ergo est quod in conscientia id ei minime licuisset.

Ad primum igitur argumentum in principio quæstionis responderetur quod inter inclinationes naturales illas est potissima, ut rationalis homo nihil contra rationem inceptet. Ob idque vniuersale desiderium omnium creaturarum conseruandi se, debet homo rationis moderamine exequi. Quapropter ubi citra iniuriam reipublice in suo se iure non valet asserere vitam potiusquam rationis ordinem deserere debet. Argumentum autem secundum multa exigit diluenda dubia. Respondet enim S. Thom. quod cum nemo ita condemnetur, ut mortem sibi ipsi inferat, sed tantum ut pariat, nullus tenetur facere illud unde mors sequatur, quod contingeret, si sua sponte maneret in carcere. Et ideo eum ei fuga potest, arripere potest. Veritamē nō potest resistere ministro iustitiae, nā hoc nō solum esset non agere suam mortē, verū resistere

Ad primū arg.

Ad secū dū arg. D. Tho.

ne pa-

ne patiat. At vero contra hanc solutionem sunt argumenta permulta. Primum, quod nemo potest suam custodire vitam cum alieno damno, quale daretur custodibus contra quos si fugeret, lege ageretur. Ad hoc autem responderetur hoc accidentarium esse, quod ideo fugiens minime tenetur cauere. Ipsi viderint custodes quomodo munus suum expleant. Et enim si negligentes fuerint, illis impuniendum est, nam fugiens, ius persequitur suum. Quod si videntius arguas, sequeretur si condemnato liceret se in dedes dare, quod licere pariter & compedes rumpere, & infringere seras, & perforare murum, qua se via eripere, hoc tamen reprehensibile vulgo reputatur. Quin vero & legibus decreta sunt illis poenae qui talia audent. Henricus Gandensis quolib. 9. art. 25. negat illationem hanc, a iuribus arbitratis hoc perinde esse atque resistere iudici, eius percutiendo ministros. Unde sicut licet tibi, inquit, per alienum agrum transire, haud tamen diruere septem ut transeas, sic condemnatus dum fores patens, fugere potest nequaquam tamen vincula rumpere. At tamen eisi huic opinioni applaudere ciuiles leges videri possint, tamen contraria probabilior est, quam Caiet. secunda secunda quae st. 69. censet D. Thom. consonam, dicenti quod licet fugere, sed non resistere. Et ita credo in foro conscientiae de quo praecise tractamus. Cuius enim fugere licet, iustum subinde fit & se ab impedimentis, circa uiam expedire. Est autem notandum uiam proprie, neque brutis animantibus, quae neque dominium vllum neque ius habent, neque vero inanimis rebus inferri, sed solum hominibus. Et ideo condemnato non licet vel iudici vel custodi carceris resistere, manus in ipsos iniiciendo, vincula vero rumpere non est resistere, sed fugere. Sicut neque qui leonibus esset traditur, viam inferret iustitiae, dum, ut se defenderet, illos interficeret. Qui autem custodem carceris ligaret, aut os illi, ne clamaret, obstrueret uiam faceret, non tamen si eum dum se teneret post se fugiens traheret. Sed arguis contra. Qui aedes rumpit, arguitur. Qui aedes rumpit, arguitur. Qui aedes rumpit, arguitur.

Argu.

Solutio.

Hic enim tantum constituimus ius fugiendi, declarantes illic non inferri uiam iustitiae vindicandae quicquid sit de communitate. Quod si arguas, saltem rumpere vincula, peccatum iniustitiae est. Negatur consequentia: quia totum reducitur ad hoc quod est fugere. Quare non tenetur ille de damno ratione acceptiois, sed ratione rei acceptae. Enimvero si furti ligati possunt nodum dissolvere, immo & funem discindere, & habentes adulterinae clauem possunt seras aperire, sit ut & ferrea vincula limare, & perforare murum liceat, etiam si qui hoc facit sciat oculos secum alios exituros. Nam ipse suo vitare iure, cui cura non incumbit custodiendi alios. Verumtamen ex his non subsequitur quod amici condemnati possint vinculo vel intrinsecus vel extrinsecus nauare operas suas, ut vincula vel muros dirumpant, licet possint consulere ut fugiant. Nam ille tantum cui fugere licet, viam sternere potest, ceteri vero maiorem iniuriam facerent diruendo carceres, quam priuatum domum, essetque in vtroque foro capitale crimen. Et quamuis Caiet. secunda, secundae quae st. 69. contraria sit sententiae, arbitror tamen nemini licere porrigere vinculo vel limam vel aliud instrumentum, quoniam iam hoc esset cooperari. Neque vera est illa regula, quod si mihi licet aliquid operari, licet alijs me iuuare, quoniam vincula & carceres rumpere, solum est licitum sternenti sibi viam. Secus habet consulere alteri quod ei licet. Custodibus autem carceris iustitiaeque ministris grauissimum esset infidelitatis scelus, vel cooperari, vel conuiuere, vel dissimulare, immo credo, & consulere. Neque vero propterea quod condemnatis fugere in foro conscientiae licet, aliquid patiatur respublica detrimentum nisi satis obuiatur si carceres bene sint murati, & custodes vigilantes. Non enim est necessarium ut nullum sit impunitum crimen. Porro autem fateor contra hanc determinationem stragendi carceres, quam in foro conscientiae vendicam arbitrio, valedissimum existere argumentum ex iure ciuili, quo poena capitis effractoribus carcerum decernitur, ut patet, ff. de estract. l. De his & ff. de cust. & exhi. reo. l. in eos. Secundum quoniam & alias particulares solent bene moratae respublice adhibere. Nam tam grauis poena nisi pro mortali culpa, iniusta sane esset, secus.

secundum ea quae lib. 1. q. 6. definita reli-
 quimus, nempe poenam, nisi pro culpa in-
 frigi non posse. Ad hoc nihil inus respon-
 detur: quod cum legum conditores civiles
 non sint spiritualium iudices, ut perpende-
 re valeant culpas in foro conscientiae, nihil
 mirum si putent esse culpam ubi culpa non
 est. Igitur vel illam sunt opinionem sequuti,
 quod per se effringere carceres lethalis
 culpa sit, vel suas leges in praesumptione
 fundauerit. Praesumitur enim vis super illa-
 to custodibus, & resistētia, vivere inest culpa.
 Et ideo additur in dictis legibus. Si quis
 conspiratione facta cum ceteris carceres
 assigerit. Vbi vis & resistētia custodibus
 illata insinuat. Subditur autem ibidem.
 Qui per negligentiam custodum euserint,
 leuius puniantur. Et intelligendum est si
 vincula aut carceres rumpere, nam alius
 profecto nulla esset aequitas, cum citra con-
 trarietatem, nulla sit illis culpa. Tame-
 si quis fugit, eo ipso criminis sit iure suspectus.
 Subdit autem eadem lex, in eos, quod est
 effractoris inueniantur postea innocen-
 tes ex eo crimine propter quod impachi
 sunt in carcerem, tamen puniendi sunt.
 At vero leges (ut dictum est) semper praes-
 sumunt resistētiam. Alias re vera inno-
 centibus nulla est culpa, vincula lacerare,
 nec terebrare parietes. Super est autem
 contra hanc eandem definitionem, &
 aliud argumentum huiusmodi. Qui ad
 mortem damnatus est, eo ipso damnatur
 ad carcerem, facit ergo contra obedi-
 entiam dum fugit. Respondetur per interem-
 ptionem an ecedentis. Qui enim damna-
 tur ad mortem, solum cogitur pati, & ideo
 subducere se potest. Verum est quod leges
 civiles decernentes fractionibus poenas, in
 virtute praecipunt ne carceres effringant,
 quia legislatores praesumunt illis culpam
 (ut expositum est) alias nequi tenti reposce-
 re poenas, ut lib. 1. quaest. 8. dictum est. Pos-
 sunt quidem & condemnare ad carceres,
 sicut ad exilia, tenenturque tunc rei in
 carcere manere, esseque illis peccatum
 fugere, nisi immineret periculum mortis
 aut corporalis supplicij. An vero simul
 possit quis damnari ad carcerem, & ad
 mortem? Caiet. loco citato innuere videtur
 tales posse fieri leges, licet latae non sint.
 Arbitror tamen quod non essent iuste, quia
 non potest miser illo naturali beneficio
 fugiendi priuari, quando ad supplicium de-

stinatur corporale Beneficium enim illud
 nascitur ex appetitu, quem natura dedit
 rebus conseruandi se. Quapropter distin-
 guendum est, quod in aliquibus non po-
 test homo condemnari, nisi ut patiat, ut
 puta in his quae vel morte vel corporale
 supplicium asserunt. Et tunc non potest
 condemnari ne fugiat. Diuersa autem
 ratio est in alijs, in quibus ad simile sup-
 plicium corporale non proceditur. Tunc
 enim potest reus condemnari non solum
 ad pati, verum & ad agere. Puta ut pec-
 uniam soluat in exilium secedat, in clau-
 stro maneat, vel in carcere non solum
 ad tempus, verum & perpetuo. In his
 namque omnibus obedire tenetur, & face-
 re quod sibi iniunctum est. At vero ratio
 quam secundum D. Thom. assignauimus,
 nempe ob id licitum esse damnato fugere,
 quod non tenetur facere id vnde mors se-
 quatur, non apparet vique adeo solida, na
 expectare reum in carcere, non est occide-
 re se, alia minime expectare liceret, quod
 falsum est, cum expectantes martyres con-
 trarium dederint documentum. Responde-
 tur quod neque S. Thom. affirmat hoc esse
 occidere se, sed facere vnde mors sequatur,
 quod licet nemo virtute sententiae teneatur
 facere, potest tamen sua sponte, quia
 aequanimiter pati vult sententiae execu-
 tionem. De martyribus autem alia est
 ratio. Nam aliquando tenentur ob con-
 fessionem fidei expectare. In eadem so-
 lutione ad secundum subdit D. Thom. si-
 militudinem, dicens Sicut etiam si aliquis
 sit condemnatus ut fame moriatur, non
 peccat si sibi cibum ministratum sumat,
 quia non sumere esset seipsum occidere. Et
 quod liceat ei cibum paratum sumere, ne-
 mo ambigit, quia damnari non potest, nisi
 ut ei non ministraretur. Restat tamen am-
 biguitas vtrum teneatur sumere? Et qui-
 dem Caiet. illic incunctanter asseuerat te-
 neri ita ut si non sumeret, peccaret. Cu-
 ius maximum argumentum colligitur ex
 verbis S. Thom. nam dicit hoc esse se occi-
 dere, quod nemini licet. Ego vero fateor
 non esse mihi prorsus improbabile, quod
 ei liceat non edere. Nam vere dignus est
 morte, etsi licite possit eam subterfugere.
 Quis enim ambigat quin scelerosus homo
 suorum criminum conscius, sciens pretorem
 venire ad se capiendum possit illum ope-

Solutio.
 Discuti-
 tur rō.
 S. Tho.
 Mēs. S.
 Thomae
 Caiet.



riri, atque adeo in carcere aperto sine vllis vinculis mortem expectare quam meretur? Ergo licet fatear, non esse parum omnino rationem, haud tamen est longe dispar, quin & damnatus, ut inedia ablutatur possit à cibus contra iudicis iussa oblatu abstinere. Neque S. Tho. aliud ait quam quod nemo potest ad hoc condemnari. Et ideo neque ille comedens, neque qui cibos illi porrigerent, nisi specialiter essent prohibiti, peccarent. Ob idq; laudi datur apud

Valer. Maxim. lib 5. Atheniensis Cimona, quæ partem suam tali damnatum morte, lacte pavit. Attamen nemo illis tenetur tales cibos suppeditare, sicuti extrema extra iudicium patientibus, ut 2. 2. q. 31. art. 2. auctor est S. Thom. Igitur ut ad ipsam diui doctores rationem reuertamur, quando subdit quod non sumere esset seipsum occidere, non intelligit positivè, quod aiunt, & formaliter, sed reductivè, sicut qui tenetur servare navim, si non servat, censetur submergere. Et idcirco qui sine causa non servaret vitam, se occideret. Puta si quando extra casus iudiciales fuit domus, vel irruit fera, vel appropinquat flamma, non fugeret, suæ esset vitæ prodigus, quia sine causa eam negligit, sui que adeo est interfector, sicuti & qui non damnatus non comederet. Qui autem legitima sententia proiectus esset leonibus, non teneretur se ab ipsis defendere, quamvis licite posset quia non se sine causa mori sinit, sed quia mortem meretur, vult eam à iudice pati. Sed ais, ille non est damnatus ne comedat, fateor, & ideo potest comedere. Sed tamen quia est damnatus, ne ei ministraret esca quousque exhalet animam, potest (quod probabile reputo) non comedere. Secus autem de illo innocente qui immeritus condemnatus esset. Ille enim fortasse teneretur & de carcere fugere, & comedere si apponeretur panis, præcipue si vita sua vtilis esset reipublicæ. Nam alias nescio an ut tale patientiæ specimen exemplo Christi præberet, liceret ei sententiam iniquam sponte sua ferre, saltem non fugiendo. Postrema autem dubitatio super est de eo qui ad epotandum venenum condemnaretur, quo quidem mortis genere solenni Athenensibus fuit. ingenuos ac proceres enecare, quo & Socrates sublatu est. Videtur namque huiusmodi

condemnatio id licere, quia hoc non est agere, sed pati, vti si vi aperiretur ei os, cur non posset sponte sua aperire ut carcerium effugeret? Et si esset, v. g. quia condemnatus ut lingue particula ei abscinderetur, dareturque ei opio ut vel parvam sibi ipsi abscinderet, vel maiorem carnifex sciret, cur non posset minus detrimendum optare? sicuti de seipso Iosephus refert lib. secundo de Bel. Iudai. cap. 27. quod data sibi optione, maluit vnam sibi ipse manum amputare quam permittere ut ambabus truncaretur. Et si quis condemnaretur ad sanguinis emissionem, per venam quam licet aperire neceret, cur si reus esset artis peritus, id exequi tanquam minister iustitiæ non posset? Ad hæc breviter omnia respondetur, in primis eiu modi leges, atque sententiæ esse iniquas, quippe quibus condemnatus rei seipsum vel occidere vel mutilare. Quapropter Christiana familia illas non permittit. Imo vero neque martyribus eiusmodi iudiciis parere liceret. Secus autem quando actio potius est passio, ut si reus linguam extrahat manumve aut collum licet non patret, aut patibuli scalam ascendat. Hoc enim non est agere, sed ad crucem se hominem adaptare, sicuti dum in carcere duceris, potes tu ipse ambulare. Ad hiltoriam ergo Iosephi respondetur male fecisse, sicut male faceret qui particulam lingue sibi refecaret, ut cuitaret maius damnum, quia illud medium non erat per se necessarium, sed ex malignitate alterius precipitatis. Secus si putridum haberet membrum, tunc enim tu tibi ipsi, si alius chirurgus non haberetur copia, posses abscindere, sicuti alia quacunque via tibi ipsi mederi.

QVÆSTIO VI.

DE INIVSTITIA TESTIS.

ARTICVLVS I.

Vtrum seneatur quandoque homo testimonium ferre.



Quartum locum in iudicio obtinere persona testis, de qua quatuor examinanda sunt, licet obligatio, sufficiens, reprobata, & culpa. Queritur ergo prin o vtu quis aliquan-

Valer. Maxim.

D. Tho.

Scrupulus. Solutio.

Postrema dubitatio.